

bitus est in vinculis aliquamdiu; & vix tandem in Galliam nudus ab omni remissus. Intereà verò dum integrum illi effet ad noualia Canadæ redire, damnum ab Hæreticis illatum sanctè vltus est: reliquo vitæ tempore quæsiuit intentissimis studiis ad vitam illos, à quibus ad necem adductus fuerat. Docuerat olim Theologiam Lugduni, non sine laude. Reuerfus è Missione Castrensi, cùm Auenionem diuertissit, & opportunitate temporis usus secessisset in Nouitiatum, in ipsis [v] penè spiritualium Exercitiorum initiis, ad paradisi contemplationem, vt credimus, euocatus est, die XIX. Nouembbris, Anno MDCXXIJ.

Præter *Epistolam ad R. P. Præpositum Generalem è Portu Regali, et Relationem Expeditionis Anglorum in Canadam*, P. Biardus scripsit *Librum pro auctoritate Pontificis, contra Martinettum Ministrum*. Gallicè etiam edidit seorsim *Relationem Novæ Franciæ & itineris Patrum Societatis Jesu ad illam*. Lugduni apud L. Muguet, MDCXVI. in 12.